DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DIABETE MELLITO.

AUCTORE JOHANNE HUGGINS.

Bonus ac diligens morborum observator fuit ille, qui scripsit, "sub longis morbis nec sanitatem in propinquo, neque exitium esse." Nihilominus mire erravit idem, edocens medico in acutis parum proficienti magis ignoscendum esse; quoniam et curatio et eventus longorum multo minus sub medici imperio sint. Morbi enim longi, qualescunque eorum fuerint causae, diu trahendo fabricam atque actionem organorum, multo profundius penitiusque corrumpunt: valetudinem generalem, vel, quod idem est, munera cum sede mali primarii directè vel obliquè consentientia, insanabilius pessundant. Quapropter pars longe maxima hujusmodi malorum, vix aut ne vix quidem à medico utcunque diligenti in valetudinem prosperam reduci potest. Hinc fit, ut inter



multiplicia medicorum opprobria, longa acutis multo numerosiora extent.

Diabetes, de quo agere in hocce tractatu animus est, in hunc numerum optimo jure a medicis receptus est. Hominem diu alternis valetudinis spe, mortis timore, agitat; nec sanitas, nec exitium in propinquo est; sed tandem, medicina post longum ac inutile fere luctamen frustrata, mali violentiae cedere cogitur. Quando igitur tam sinistri hactenus fuerit eventûs, tam inefficacis curationis, medicos naturam Diabetis diligenter quaesivisse, quis mirabitur? etiam dissertationi hujusmodi idoneum praebere argumentum nemo non videbit. Quamvis enim nihil novi propositurus sim, saltem ea quae in aegris annotaverim cum aliorum observatis componere licet, et notiones proprias de singulis breviter subjicere. Ea enim hujus almae Academiae licentia est.

DE NOMINE AC DEFINITIONE.

Diabetes a duobus verbis Graecis derivatur quae "*transire*" significant. Nomen erat olim Siphoni inditum, et hinc nomen deductum verisimile est; quoniam in Diabete, potus per hominem, quasi per siphonem, confestim effluit.

Morbus antiquis haud incognitus erat; ipsum tamen vocabulum apud Caelium Aurelianum et Galenum primum occurrit. Hic tamen in Praxi sua bis tantum se vidisse testatur; et in temporibus recen-

tioribus eadem ferè ejus paucitas fuit Hildano et Lommio. In ea regione, qua nunc scribo, frequentior est quam qualibet fere alia. Sed quam ob causam, minime constat. Accusant luxuriam auctam mortalium; accusant et aquae potum, qui nonnullis causa fuit; sed ni fallor, vera ejus causa in aucta curiositate medicorum, et maxime Scoticorum, de hoc malo latet. Morbus enim est multo rarius Idiopathicus, quam vulgi opinio fuit; et casus, quales olim ac aliis regionibus pro diversis morbis descripti, atque curati sunt, hic sub nomine Diabetae, siquidem urinae fluxus auctior sit, recensentur. Saepenumero enim cum Phthisi, Tabe mesenterica, Hepatitide, Nephritide quadam; Lienis, Pancreatis, vel ipsius Ventriculi inflammatione conjunctus esse videtur. Symptomata quoque hodie magis familiaria; ideoque facilius et ab aegris et a medicis malum agnoscitur. Quinetiam minus fortasse cognitus fuit hactenus Diabetes, propter nominum ejus diversitatem. *Lienteria* enim, *Diarrhoea*, *Nephritis*, *Urinae profluvium*, *Dypsacos*, *Hydrops ad matulam*, &c. &c. pro libitu auctorum appellatus fuit. A Culleno hisce verbis definitur.

DIABETES.—Urinae plerumque praeternaturalis, copia immodica, profusio chronica.

Species I.—Diabetes MELLITUS, cum urinâ odoris, coloris, ac saporis mellei.

Species II.—Diabetes insipidus, cum urina limpida, non dulci.

Haec vero Culleni definitio mihi nimis jejuna vi-

detur: atque illa quam Rollo proposuit, morbi naturam concinnius comprehendit.

"Desiderium cibi inexplebile; sitis perpetua; urina aucta et subdulcis, pulsus frequens. Calor parum auctus, cutis arida, cum marcore." (Rollo on Diabetes).

Species secunda longe rarissima est; atque cum apparet, varietas potius est praeeuntis. Cullenus quidem in notula hanc raritatem planè declaravit.

DE HISTORIA MORBI.

Nullus sexus, nulla fere aetas post pubertatem hoc malo libera; viri autem prae faeminis ei magis obnoxii; virilis et senilis prae juvenili aetate. Lente furtimque obrepens, nulla fere sui ingressus monita aegro submittet. Omnium fere auctorum, Aretaeus signa praeëuntia, quae pauca fortè antecedant, optime describit; ni tamen eo fors vel imaginatio aliquid contulerit. "Os humore privatur, saliva est albida, spumans, perinde ac in siti; nondum tamen insitiunt; praecordia gravia sunt; calorem aut frigus a ventre in vesicam tendere sentiunt, prout adventantis morbi processus est. Paulo plus lotii quam moris, erat, effunditur; sitis adest, sed nondum vehemens." (De Morbis Diuturnis, Lib. II. p. 57.)

Rei quoque obscuritati adjicit, quod sape Dyspepticis, Hystericis, Asthmaticis, subitus et magnus urinae fluxus fit, citoque post abit. Porro, Diabetes

utpote malum omnino infrequens, a Phthisi quae saepe comitatur, minime indicatur; nec magis a virium depressione nonnullis diu antecedente.

Utcunque autem praenuncia sese habeant, morbus jam formatus sensus debilitatis ac oppressionis imprimis habet. His somnus perturbatus saepe additur. Deinde cibi appetitus potusque ingruunt, cutis arescit, caloris in ventre sensus, obtusus tamen, sed quasi intus aliquid corrodens, percipitur. Aliis unà dolores fugaces, Rheumatismi instar, per pectora, abdomen, membra; lenes tamen, volitant. Nonnullis crura imbecilla et frigida sub initio sunt, plerisque vero morbus diu adfuit, et vires mediocriter detritae sunt, priusquam haec signa observentur.

Lumborum dolor, motu nisuve auctus, sensus ponderis et quasi plenitudinis circa renes, etiam urinae mictio dolens, jam abundans, dotibus mutatis, simul notantur in multis exemplis. Aliis vero haud paucis, fluxus urinae nimius, cum siti vix mediocri, et appetitu vorace, diu adsunt, sine multa mutatione corporis aut valetudinis generalis. Qualitas urinae excretae vitiari adparet, sic ut latex flavus vel fuscus, nares fortiter feriens, in liquorem pene inodoratum, limpidum, seroque lactis subsimilem, mutatur.

Sub initio morbi, cutis non semper aret; aliquando sudores partiales erumpere videntur; atque in iis exemplis quae tradidit Cel. Franciscus Home, sudor maximus post meridiem fuit, minimus vero ante. Extremitate superiore tamen et trunco maximè videtur; vix unquam in membris inferioribus. Multis

vero cutis siccissima est, per totum morbi curriculum.

In morbi decursu, capitis dolor sentitur, appetitus sitisque magnopere exacerbata, vix satianda. Fauces inspectae duritiem coriaceam saepe exhibent, cum sulcis quasi vel areolis aridis interpositis, licet haec conditio minime pro portione sitis existat.

Alvus fere adstricta est, et siquando faeces descendant, durae sunt, albidae, vel aliquando viridis coloris, ut post mortem fuisse testatur auctor illustris supra citatus. Pauculis tamen exemplis, praesertim post Hectica supervenerit, diarrhoea hominem urget, fatumque praecipitat.

Inquies animi, vitae taedium, vigilantia, vel somnia horrida, moestitia, marcor, anxietas circa praecordia, miserum occupant; saepe inflationes intestina tendunt, atque calor modo memoratus indies augescit. Tubi ejusdem secretio per totum tractum vitiatur, saliva fit spissa, viscosa; gingivae tumore ac dolore afficiuntur, succus gastricus iners jam factus, cibum in stomacho diu immutatum manere sinit, id quod vomitus saepe demonstrat.

Genitalia demum ruinae generalis haud immunia, saepe exulceratione circa urethram afficiuntur, et in plerisque omne veneris desiderium extinguitur.

Tandem vero Hectica accedit. Nocte ingruente, exacerbatur pulsus, ab 80 ad 120 duriter micans; pedum plantae manuumque palmae calent, dolores augentur omnes, sudor saepe subacidus et ingratus in cutem provenit. Pedum tumor intercus, oculo-

rum caligines, tarsi exulceratio vel dolor, vertigines, macies ultima, urinae finalis et lethalis suppressio, mortem impendere ostendunt. Ad finem vitae usque moestitia, animique depressio perstat; atque vox, quanquam saepe rauca, hanc spei jacturam indicat.

Supra diximus, Diabetem, saepe cum Phthisi copulatum esse; et plerisque per totum morbi cursum tussis sicca vel humida, cum sensu ponderis, doloris, molestiae, comitatur.

Hic fere morbi habitus est, aliquando tantum ingravescunt omnia, ut aegrum miserrimè extinguant. Pauca tamen restant de iis notanda signis, quae Rollo in definitionem supra laudatam conflavit, quaeque vix aut ne vix quidem inter historiam tradi poterant.

Urina nimia princeps utique signum est, et quantitas hujus maxime variat, secundum tabulas staticas.

Doctoris Rye, mediae urinae quantitas, in hac regione ad libras quatuor quotidie in sano homine est; sed exempla non desunt, quibus ad 30, 40, 56, etiam 70 libras mictio diurna visa est. Plerumque tamen inter septem et sedecim libras mensura vacillat.

Experimenta Doctoris Home, supra citata, ostendunt diversam esse copiam urinae diversis diei temporibus, maximam vero post meridiem.

Quod ad qualitates ejus pertinet, plerumque serosa est, subdulcis; atque vaporando inspissata, residuum saccharinum relinquit, quod diligenti tractatione, secundum artificia chemica, in crystallos genuini sacchari, haud difficulter convertitur.

Hoc inventum alii Willisio, alii veteribus attribu-

unt; sed postquam Doctor Dobson, Liverpolensis, in seculo praeterito medicorum attentioni paulo acrius inculcaverat, tunc primum pro causa morbi a multis exquiri coepit. Frustrà tamen in sanguine quaerunt; nullum enim signum inibi; nec serum hujus laticis, quanquam lacteum quodammodo et turbidulum in diabeticis, quidquam aut fermentationi, aut indiciis chemicis cedit.

Praeter hoc saccharum, nihil fere additur, sed urea propemodum abest, necnon acidum uricum, albumen, et sales, quales urinae sanae inesse consueverunt. Inde fit, ut, calore admoto urina Diabetica perfacile fermentescat, atque post fermentum alcohol distillando praebeat, vix aut ne vix quidem putredinis odorem (qui fere a muco aut albumine pendet) exhalet.

Neque tamen is sum, qui hunc limpidum laticem inodorum pronuntiem, quoniam egomet, quoties ad aegrum accessi, odorem quasi foeni recentis, vel Frumenti germinati (Bynes veterum) nunquam non olfeci. An vero haec annotatio ad halitum corporis, rapidamque cibi *acetificationem* in *primis viis* referri possit, judicent docti; sed non silendum putavi, cum vix in auctoribus obveniat. Urinae pondus specificum 1020 plerumque, aliquando tamen 1050; sanae vero urinae ab 1003, ad 1033.

Sitis multum variat pro copia ac vehementia, veluti jam dictum est. Plerisque fauces et linguae, aridae, rugosae, facile potum quo refrigerentur suadentes. Nonnunquam vero hae partes humidae et molles sunt, dum sitis gravissima perpetuo urget.

Cibi desiderium fere semper magnum est; ita tamen, ut non defuerint exempla quibus, mirabile dictu, et desiderium cibi, et fastidium unà adesset. Voracitas tanta est, ut nihil fere esculentorum abnuat. Postremò, macies modo ab initio incipit, modo per maximam mali partem abest, et singulare exemplum narratur Doctore Bardsley, ubi pinguefactus est miser interim.

De cutis varia conditione jam supra satis proposui. Generis nervosi affectum nimis perfunctorie hoc morbo notatum hactenus credo. Moestitia enim animique depressio non alia causa explicari possunt; et obscuri dolores fortasse eodem pertinent. Quinimò omnibus fere, quos vidi, Diabeticis, oculi pupilla constanter dilatata est; quae res, nisi a generis nervosi turbatione, et quasi oppressione, oriri non potest.

Illud vero signum me apud auctores offendisse non memini.

DE CADAVERUM INCISIONE.

In universum, nihil est, quod in cadavere aperiendo affore praediceres; verum in longo hujusmodi morbo, ubi lenta tabe aeger consumitur, vix sperandum est, ut omnia interanea, omnibus exemplis, integra esse poterint. Quae tamen inventa sunt raro sibi similia.

Renes aliquando auctae actionis indicia exhibent, rubentes, solito ampliores, molles. Ureteres dilatati

aliquando pus continent, vesica urinae amplificata, vel crassior, contracta.

Ventriculi Pyloris inflammationis notas saepe ostendit, nec raris exemplis Lienem et Pancreas, Hepar, steatomate, etiam inflammatione affici confirmant Constantinus Africanus et Mead; quamvis autem nuperi quidam negant, non video cur vinolenti, qui saepe in hoc malum incidunt, magna Hepata non diabete, perinde ac aliis intemperantiae suae terminationibus, nanciscerentur. Omnium macies insignis est, adipe resumpto, materiaque gelatinosa ei substituta; pauculos tamen pinguescere supra tradidi. Glandulae mesenterii tumefactae, durae, pulmones tuberculis, ulceribus, vel vomicis obsiti, musculi flaccidi, fragiles, rubri. Membrana quoque intima aortae et ramorum ejus ruberrima nonnunquam visa. Repeto demum plerisque corporum partibus nihil praeter naturam monstrari.

DE CAUSIS.

Causae morbi alicujus sese naturaliter in praedisponentem, excitantem, ac proximam diducunt. Diabetes similem agnoscit divisionem.

Causae, quae ad hunc morbum homines disponunt, incognitae sunt: neque vero constat, an alius prae alio homine magis proclivis existat. Exemplum audivi, quo robustissimus juvenis, paucis post frigus admotum horis, malo correptus est; et caballi, eodem propter victum vitiosum affecti, nullam praedispositionem ostendunt.

Illud saltem constat, pauperes apud Scotos, uti supra diximus, fortasse omnium frequentissimè hoc vitio laborare; quae gens durum utique vitae genus ducit, sed ex toto non magis grave, quam apud caeteras nationes haud ita proclives. Nec victus rem elucidat; nam farina avenacea non magis iis solus cibus est, aut "*aqua vitae*" frequentior potus, quam Plebi Hiberniae septentrionalis. Frigus, quod alii accusant, probabilior videtur causa praedisponens; tamen Sueci, Dani, Norvegii coelum longe frigidius habent.

Quanquam vero simplices causae vix ad Diabetem praeparare valeant, plures tamen conjunctae fortassis rem efficere poterunt.

Farina quidem avenacea adeo non Diabetica est, ut experimenta Krimeri monstrent, eam solum esse ex vulgaribus frumentis, quae hac facultate careat. Nihilominus, Alcohol, Frigus, et Dyspepsia omnia sigillatim urinam movere solent; et conjuncta, ut saepe apud monticolas Scoticos sunt, morbum gignere posse nemo negabit; quanquam haud facile videat, cur eadem apud alias gentes conjunctio malorum, eundem effectum non consequeretur.

Denique saepe apud divites et luxuriosos observatur; potulentos, mulierosos, evacuatione aliqua magna debilitatos, afficiens; sed an hae res praedisponentes vel excitantes sint, jure dubites; nec minus de iis exemplis, quae Reil ac Storer collegere, ubi plures ejusdem familiae corripere visus est Diabetes.

Causis excitantibus nihil obscurius. Saepe qui-

dem urinae fluxus quidam solito major, variis diureticis, victu farinaceo, Frigore, Exanthematis, Febre, acribus ingestis excitatur, atque hae res, in libris medicorum, pro causis Diabetis receptae sunt. Longe vero plura exempla sine ulla causa manifesta superveniunt. Krimer supra citatus, fugacem nuper ope victus farinacei induxit in variis animalibus Diabetem, quem Electricitate sola fugavit. Singulas tamen causas persequi nolo; quippe quarum haud paucae non minus ineptae sint, quam ea Amati Lusitani, qui farcimine piperato comesto illum oriri se vidisse scribit! Qui plura de his causis velit, adeat libellum Doctoris Trnka de Diabete.

De causa proxima innumerae opiniones fuere: Araeteus, totius corporis colliquationem esse. Galenus, cum multis aliis, renis vitium. Constantinus Africanus, Ricardus Mead, jecur morbosum suo munere male fungi. M. Lister, F. Home, G. Cullen, Rollo, ventriculi affectionem obscuram.

Willisius sanguine soluto, vel sero cum crassamento non rite admisto, originem ducere. Junckerus lympham a pinguedine liquefactam ad renes dirigi, "*motu quodam turbatorio*, indeque demum expelli," opinatus est.

Boerhavius renum laxitatem accusat. Dolaeus ait, "tubulos per omentum ex fundo stomachi prodeuntes nimis laxos culpo." Per hos enim patentiores ductus sine mora pergit ad renes quicquid est potulenti. Trnka absorptionem aquae ab aëre atmosphaerico accusat, renes ad auctam secretionem stimulare reputans. Experimentis enim Francisci Home, ac

Doctoris Bardsley satis constat, aërem aqua sua Diabeticis privari, scilicet absorptione per pulmones cutemque facta; quin clarissimus nuper Gregorius, corpus oleo illinendo, morbum magna ex parte fugavit.

Dr Alexander Robertson in speciali dissertatione nuper editâ, Pulmonis vitium quod minus solito acidi carbonici, plus vero nitrogenii edi se invenisse propriis experimentis docet, causam proximam verisimilem putat.

Darvinus, fere cum Dolaeo, aquam ingestam e ventriculo recta per Lymphatica ad vesicam ferri contendit.

Ex hac magna *sylva* contrariarum sententiarum, ea mihi magis placet, quae morbosum cibi concoquendi processum amplectitur. Omnia enim ei favent, morbida concoctio, fames insatiabilis, potusque, Glandularum mesentericarum morbus, sanguinis seri mutatio, saccharum demum copiosum, absentia ureae, acidique urici. Non tamen dissimulandum est, experimenta Krimeri his adversari; licet fortasse aliam explicationem accipiant. Certe *cibi genere* multum afficitur; fruges enim omnes augent, carnes imminuunt; sed inter tantam medicorum discrepantiam, nihil definire velim.

DE SIGNORUM RATIONE.

Hanc magna ex parte causa proxima absumpsit, quamvis pauca quaedam restent melius hoc nomine

recensenda, sitis et voracitas a perpetuo corporis detritu facile explicantur. Ita enim omnia animalia natura finxit ut post evacuationem humorum aliquam magnam, supplementum appeterent, cibumque potumque ingererent. Ergo, urina ad plures amphoras fluente, necesse est, ut novae materiae pabulique ingerendi, desiderium excitetur.

Ariditas, rugositas, duritas cutis, a sudore suppresso evidenter provenit, non aliter quam in aliis morbis esse solet, quibus serum sanguinis aliò diversum fuit. Marcor proculdubio eandem habet originem, seri enim quaevis detractio cito corpus tabefacit; et, pauci, qui interim pinguesere videntur, absorptionem pulmonis monstrant, nequaquam huic marcoris origini obstant. De saccharo in urina parum affirmare ausim. Cum vero chylo sanissimo illud insit, haud adeo difficile conceptu fit, in concoctione morbosa paulo plus formari. Quod sanguis non ostendat, non magni momenti aestimo, quoniam gravissima salivatione laborantium sanguis ne particulam quidem Hydrargyri monstret, utut per omnes secretiones hoc manifestum sit.

Dilatationem pupillae supra memoratam, haud facile explicabis; nisi affectu quodam generis nervosi; fortasse propter sanguinem cerebrum prementem. Eo proclivius sum, quod ipse saepe notaverim, ut si aeger forte antrorsum procumberet, illico sanguis ad caput magno impetu ruit; et vertigo cujus supra memoravi, aggreditur.

DE PROGNOSI.

Haec semper mala. Leviora quidem exempla, quibus urina naturae normam haud multùm excessit, aut temporis, aut medici auxilio aliquando levantur; sed hoc morbo laborantium longe maximus numerus ad Orcum et Tartara nigra descendunt. D. Gregorius ex 50 sibi commissis, ne unum quidem sanavit.

DE DIAGNOSI.

Fluxus urinae copiosus, subdulcis, cum macie, hunc morbum facile ab omnibus aliis discernit.

DE CURATIONE.

Pro causa quam assumunt proxima, auctores curam Diabetis variarunt; sic tamen ut praecipue *Nauseosa*, Pinguia, frugibus simul negatis, adstringentia, Purgantia, Antispasmodica, Diaphoretica, Roborantia, *Alterantia*, inter quae Hydrargyrus, Emetica, sanguinis missiones adhibita fuerint. Horum optima fortasse victus ex animalibus, et adstringentia. Victus carnosus eo consilio datur, ut et minus aegrotans voret, et nihil intus recipiat, quod facile in saccharum convertatur.

Experimentis multis, non tantum Francisci Home, qui auctor fuit, sed et Rollo, multorumque sequacium, constat morbum ab hoc aliquando sanari, saepe

mitigari. Egomet faeminam generosam vidi, quae ovis coctis solis diu nutrita, et bene valuit, et pueros feliciter enixa est, postquam Diabete satis gravi affecta est. Longe verò saepius talis victus malum protrahit, sed non fugat.

Ex adstringentibus aqua calcis, arbutus uva ursi, kino, catechu, alumen, quercus vulgo laudantur.

Fluxum urinae minuunt; atque opium, utpote quod et cutem aperiat, et urinae fluxum cohibeat, huic usui melius accommodatur. Ex purgantibus, Rheum Palmatum id habet quod et adstringit, et roborat; et a nonnullis propria potentia urinae supprimendae pollere creditur. Cum opio semper conjungi debet, ne alvus nimis adstricta evadat. Doctores Warren et Black, opio ipecacuanam et kino adjecere. Aliquot ab hinc annis, Doctor Watt sanguinis missionem in usum revocavit; atque haec proculdubio morbum pro tempore lenit, Sacchari formationem impedit; sed vires misere conterit, nec raròinopinatam mortem intulit. Pro auxilio ergo habenda est, sed non pro remedio principe: vesicatoria supra renes tutiora sunt, vel hirudines.

De roborantibus nihil addo, quippe quae in hoc eadem sint, ac in aliis morbis. Phosphorum apud medicos Continentis dari audio; et Electricitas animalia diabetica Krimeri sanavit; an verò aut haec aut ille in *homine* diabetico multum valeret, aliis dicendum relinquo.

FINIS.